

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Frequentior esse cœpit dispensationum usus undecimo seculo: sed nondum concedebantur, nisi utilitatis prætextu. Recte dividit Ivo præceptiones; quarum aliæ sunt immobiles, è jure divino; aliæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

*No in Praefat.  
Decr.*

de jure dispensationum loquitur. Sed ab iis referendis temperavi, quia restitutions illæ ad Appellationum jura pertinent, & ad judicatorum rescissionem, non autem ad restitucionem ex benignitate indultam, quemadmodum tria superiora, quæ retuli, exempla.

V. Ceterum hinc repetendum est quod initio adnotavi, nullum edi posse testimonium, quo doceatur à veteribus veniam infringendi canonis alicui collatam fuisse, sed tantum infraicti. Ea scilicet Canonum & Decretorum erat reverentia, ut ea violari à quoquam æquo animo Pontifices ferre non possent; quin potius statim canonica pena reos convictos plesterent, nisi necessitatis aut publica utilitatis manifesta ratio aliud suaderet. Zacharias hac de re certiores nos reddit, qui rescriptis Bonifacio Moguntino conquerenti de indulta facultate à Gregorio III. ut quis viduam avunculi sui uxorem duceret: *Absit ut hoc predecessor nostra ita crederet præcepisse. Nec enim ab hac apostolica sede illa diriguntur que contraria esse patrum sive canonum institutis inveniantur.* Imò verò cùm idem Bonifacius enixè à Zacharia postularet ut sibi liceret Episcopum successorem eligere, respondit juxta mores antiquos: *De eo quod tibi successorem constitui velle dixisti, ut te vivente in loco tuo eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta patrum esse monstratur.* Id autem charitate cogente homini de Ecclesia optimè merito indulxit, ut ea hora qua se migraturum è seculo cognosceret, præsentibus cunctis sibi successorena designaret.

VI. Post seculum undecimum frequenter esse ceepit dispensationum usus, Ecclesia statu ita ferente; qui variis bellorum motibus & novis Decretis valde confusus erat. Attamen id superflui ex antiqua disciplina, ut nihil indulgeretur, quin utilitate publica compensaretur; ut colligere licet ex præfatione Iovonis, quam Decreto suo præfixit. Ex ea regulas quædam decerpere non alienum erit ab instituto, quia hodie etiam in quibusdam articulis usui esse possunt. Præceptiones, & prohibitions, alias immobiles esse docet, alias verò mobiles. Ac primi quidem generis sunt illæ quæ lex divina sanxit, que obseruant salutem conferunt, non obseruant eandem auferunt. Mobiles verò sunt, quæ lex eterna non sanxit; sed posteriorum diligentia ratione utilitatis inveniunt, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tuius muniendam. Quo in loco reponit canonicas institutiones. Mox addit: *In his*

*quibus obseruant salutem acquiritur, vel in quibus negligi mors indubitatea consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sancta omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt eterna lege sancta. In his vero que propter rigorem discipline, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia; si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest procedere auctoritate presidium diligenter deliberata dispensatio.* Vtitur vox Compensationis, quam è Concilio Africano hausit, ut significet utilitatem ejus ratione venia canonum indulgetur. Vsum autem harum dispensationum docet testimonis aliquot petitus ex Augustino, Cyrillo, Innocentio, Leone, Gelasio, & Ioanne octavo. Connumerat vero inter dispensationum exempla promotiones Felicis, Gelasij, Agapiti, Silverii Summorum Pontificum, etiamque filij Presbyterorum essent; quorum ordinationes vetita erant Decretis Pontificum. Sed in eo fallitur, quod Decreta illa aliquot seculis posteriora sint ordinationibus illis quas recensuit. Translationes etiam Episcoporum ab una civitate in aliam, jam olim à severiore Ecclesia admissas, dispensationibus accensuit. Sed illæ ad canonum interpretationem referenda sunt potius quam ad dispensationem: quoniam migrationes quidem Episcoporum voluntariae prohibita sunt à canonibus, Translationes vero cum causæ cognitione decretæ, non sunt vetita. Prohibetur uel *translatio*, non *uelutatio*, ut loquuntur Græci. Qua de re alibi. Depositorum Episcoporum, Athanasij scilicet, Flaviani, & Chrysostomi, & aliquot aliorum restitutionem à sede apostolica decretam, inter dispensationum exempla Ivo recenser, sed perperam, ut supra monui, cùm haec ad judicatorum restauracionem pertineant.

Dispensationum usum frequenter in epistolis suis commendat idem Ivo: in quibus hanc præcipue regulam sequendam docet, ut fides vel boni mores non lædantur: *Tunc possunt Presbites legum rigorem propter necessitates ecclesiasticas temperare, quando ipsa legum remissione nihil continet contra fideli veritatem vel morum honestatem.* Et alibi: *A subditis non debet reprehendi Prelatorum dispensatio, si salvo fidei fundamento, & nota communi regulæ morum, aliqua infirma faciunt, aut tolerant, ut vitam subditorum in proposito sue sanctitatis conservare valeant.*

VII. Eodem seculo Anselmus Cantuariensis à Paschale secundo sibi concedi petit ut juxta arbitrium suum leges ecclesiasticas temperare possat in Anglia; ubi, ob corruptos mores, disciplinæ tenor servari

*Zach. ad Bonif. c.  
3. an. 741.*

*Idem c. 4. &c apud  
Cass. 7. q. 1. c.  
Bonifac.*